DE CARCINOMATE INTESTINI RECTI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIV. M. AUGUSTI A. MDCCCXL.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ALBERTUS RAVENSTEIN

VRATISLAVIENSIS.

Opponentibus:

F. FIEBIG, med. et chir. Cand.
A. KIERSCH, med. et chir. Cand.
B. KUSCHEL, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

— malum solet immedicabile cancer
Serpere, et illaesas vitiatis addere partes.

Ovidius.

VIRO

AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO,
HUMANISSIMO

C. PULST,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO APUD VRATISLAVIENSES HONORATISSIMO, AUGUSTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIS AULICIS,

FAUTORI DOMUS SUAE PATERNAE OPTIMO

SUMMEQUE

DE SE MERITO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATISSIMOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR

PROLEGOMENA.

Si scirrhi et carcinomatis recti rarius a medicis referuntur exempla, quam aliarum corporis partium affectiones carcinomatosae, profecto non in eo est causa, quod omnino pauca et rariora sint hujusmodi exempla, plura enim occurrunt, quam ad aures nostras propagat fama! Quid igitur est? Malum incipiens saepius haud recte cognoscitur a medicis, haud dicam imperitis, sed aegrotum subtilius explorare, quacunque de causa negligentibus; dein, quum de diagnosi dubium non amplius existere possit, jamjam morti addictus est aegrotus, cui aliam supponere causam simulatam, si res sinant, non difficile est. Quam ob rem haud ineptum mihi visum est, hunc morbum inter multos describendum mihi eligere, ut omnibus, quae auctores gravissimi

hac de re disseruerunt, diligenter collectis atque comparatis, perfectam morbi phaenomenologiam constituerem, eoque modo ad accuratiorem ejus diagnosin, quoad pro exiguis tironis viribus fieri potest, pauca conferrem. Quod attinet ad distinctionem morbi, qua tres carcinomatis species disjunctas proposui, quae divisio adhuc nova est, nuspiam enim inveni eam apud scriptores, Ill. nostrum Dieffenbach secutus sum, qui pluries in exercitationibus clinicis uberrime hac de re disseruit.

Attamen bene scio, ab erroribus haud liberum fore hoc meum opusculum, petoque abs TE, L. B., ne nimis gravis strenuusque mihi existas censor, sed juvenem me esse cogites, qui primum timide scribendi subeat periculum, hacce tantummodo spe fretus, has litteras prompto paratoque animo, quo eas conscripserit auctor, TE judicaturum! Vale!

SYMPTOMATOLOGIA.

Quum cancer primo in stadio, ubi scirrhus nominatur, etiamsi in organis magis exterioribus, ideoque nil impedimenti offerentibus, quominus et oculis et digitis accuratam ab omni parte explorationem instituamus, locum habeat, difficillime dignoscatur, quia neque organi affecti neque aliorum functiones offendit, et plerumque, si nondum diutius perstitit, ne ullas quidem molestias exhibet aegroto, ita ut hic nunquam fere originem morbi indicare possit: multo difficilius est, ex primis scirrhum recti concomitantibus signis, quae multis maximeque inter se diversis morbis communia sunt, ejus praesentiam extra omnem dubitationem collocare. Imo non existunt signa universalia, scirrhi evolutionem semper sequentia, ita ut pathognomonica possent nominari. In his est causa, quod malum hoc perniciosissimum, clam et dissimulanter ingrediens, medicum haecce tantum symptomata respicientem, neque ipsum anum digito explorantem, saepissime fugit, itaque illud stadium praeterlabitur, ubi ars pluri-

mum valet ad morbi progressus inhibendos, vel adeo efficiendam radicalem sanationem.

Inde a prima intestini recti affectione haec apparent symptomata: queruntur aegroti sensum quendam molestum, prementem, dein ardentem, vel in uno intestini recti loco defixum, vel totam regionem sacram, haud raro et vesicae urinariae collum tenentem, qui aegrotum commovet, ut corpus quoddam irritans recto inesse putet. Quod incommodum initio inter alvi excretionem tantum apparens, post eam saepius evanescens, mox brevioribus temporis intervallis recrudescit, et in dies gravius evadens, in dolorem mutatur primo remittentem, dein continuum, qui inter sedes ad summum evehitur gradum. Non tam propter intensitatem, quam ob pervicaciam hoc incommodum, interdum cum meteorismo junctum, aegrotis oneri est, eos angit cruciatque, ita ut jamjam tristes, morosi, hypochondriaci reddantur. Quamquam creberrime alvum deponere desiderent, quae vana desidendi necessitas augetur, tamen excretio alvi ad constipationem usque retardata est. Sic malum, dum molestia illa nondum in dolorem permanentem est commutata, obstructionis alvi pertinacis prae se fert imaginem, et plerumque nulla alia supponitur affectio. Laxantia et drastica, quae hac de causa adhibentur, eum quidem habent effectum ut sedes intrent, etsi non sine tenesmo et dolore, ad tollendum tamen morbum nihil valent; qua enim vi praestita, omnes, quas diximus, querelae revertuntur.

Hac metamorphosi scirrhosa tunicarum intestini recti quo longius per tempus exstat, eo magis lumen recti coarctetur necesse est, ita ut cum desorganisationis progressu et phaenomena, quae ex strictura hujus canalis oriuntur, graviora manifestentur. Excretio alvi magis magisque impeditur, si vero intrat, non sine magna virium contentione summisque laboribus effici potest, ita ut lipothymiis haud raro convulsionibusque corripiantur aegroti; facies inter hunc actum tumescit, oculi ex orbitis prominent, et ex vultu anxio, distorto, gestibusque horum miserorum dolores atrocissimos, quibus lacessantur, cognoscere potes. Faeces excretae ambitum habent exilem, calami scriptorii instar, vel minorem, sunt vermiculares, filiformes, vel compressae, vel parvos globulos formant. Aeque ac strictura dolores in dies accrescunt; sunt lancinantes, tanquam periodice acu transfigatur rectum, vel, ut ipsis aegrotorum verbis utar, tanquam ferrum candens per anum sibi incutiatur, vel carbo candens in recto depositus sit. Denique faeces fluidiores fiunt et cum tenesmo materia saniosa, ichorosa, quae peculiarem foetorem spargit, ex ano profluit, id quod transitum scirrhi in cancrum apertum indicat. Tunc demum totius corporis constitutio mirum in modum corrumpitur; et scybalorum accumulatione et consensu dynamico chymificatio indeque corporis nutritio impeditur, quare macescunt aegroti ructibusque frequentibus laborant, donec modo longiore modo breviore temporis spatio elapso febri

hecticae succumbunt. Quae cachexia carcinomatosa jure a medicis pro signo diagnostico majoris momenti habetur, et negari non potest, saepius jam ex conspectu horum aegrotorum posse concludi, degenerationes cancrosas organorum internorum adesse; cutis rigida, colore flavo-cinereo, facies macilenta, vultus anxius, plenus desperationis, satis probant, quam horribili malo dies noctesque torqueantur.

CARCINOMATIS RECTI DIVISIO.

Si explorationem localem organi affecti instituimus speculoque inspicimus, magnas varietates carcinomatis forma offert. Celeberrimus Dieffenbach tres diversas carcinomatis recti distinguit species: 1) Carcinoma cutaneum; 2) C. durum; 3) C. fungosum; quas accuratius jam describam:

1. Carcinoma cutaneum

membranam mucosam intestini recti tenet et ulcera format plana, lata, plerumque serpentia, marginibus neque dentatis neque callosis instructa, sed acutis, pallidis (si speculo utaris), fundo molli, secretum saniosum, saepe cruore mixtum, edentia, quae sanies magno cum tenesmo periodice ejicitur. Inter omnes carcinomatis species haec minus est perniciosa, imo saepius evenit, ut aptis medicaminibus, et internis et externis, sanetur; quae enim post cicatrisationem restat strictura, quod semper fit, dummodo quendam ambitum habuerint ulcera, curationi idoneae etiam cedere solet. Dolor, quem efficiunt,

magis obtusus, nunquam eam habet intensitatem, quam in reliquis canceris ani speciebus, nisi jam musculus sphincter ani internus ulcerationis particeps evaserit.

2. Carcinoma durum.

Prout originem ex superiore vel inferiore recti parte duxerit, duas offert varietates. In casu priori e tumoribus scirrhosis pelvis minoris nascitur, qui et intest. rectum aggrediuntur, et 4—5″ ab orificio ani distantes stricturam scirrhosam efficiunt, vel rectum ab externo latere perforant, itaque late diffusam ulcerationem cancrosam formant.

Saepius altera occurrit varietas, quae haud procul ab orificio ani, rarius ex marisca indurata et ulcerata, plerumque e glandula mucosa intestini recti oriens, verum repraesentat cancrum glandulosum. Una alterave glandula in nodulum durum mutatur, qui denique ruptus ulcus prominens format, primo parvum, durum, dein magis magisque diffusum, alte penetrans omnesque partes vicinas conficiens atque corrodens. Margine circumdatur vallato, duro, calloso, lacerato; fundus haud raro excrescentias carcinomatosas producit, a fungo, de quo postea disseremus, eo diversas, quod durae, fere cartilaginosae sunt. Coarctatio intestini recti semper celeriter ad magnum gradum progreditur, quo fit, ut supra locum affectum in sacci formam expandatur, denique perforetur, faecesque in hoc sacco accumulatae aut in cavum abdominis ejiciantur, aut inter musculos glutaeos infiltrentur. Hu-

-jusmodi casum Cel. Dieffenbach commemoravit, ubi apud virum quendam, Petropoli Berolinum auxilium petiturus profectum, indicatio exegit vitalis, ut magnae incisurae infligerentur natibus, quo facto satis larga excrementorum copia evacuabatur. Apud viros haud raro vesica urinaria, apud mulieres vagina perfoditur, eoque aut fistula recto-vesicalis, aut recto-vaginalis formatur. Quae si adest, faeces, nullo sphinctere amplius retentae, assidue profluunt e vagina, dum in fistula recto-vesicali cum urina mixtae emollitaeque per urethram ejiciuntur, quam viam et flatus sequuntur, eoque modo symptoma illud rarum nascitur, quod Sauvages Oedopsophiam nominat. Denique accidit, ut totum rectum cum vicinis partibus, nec non musculi sphincteres ani ulceratione cancrosa destruantur faecesque continuo ex ano profluant.

3. Carcinoma fungosum,

omnium perniciosissimum est, nec non per totum rectum, sed nonnunquam per magnam coli partem, quin adeo intestinorum tenuium extenditur. Verus est fungus medullaris, qui a tunica carnea exit. Tunicae intestinales aequo modo spissae, turgidae, quod ad molem amplificatae apparent, ita ut lumen portionis affectae plane tandem dispareat totumque intestinum farctum quasi cernatur, farciminis in modum. Si digitum in anum immittere licet, mollibus, elasticis, contingentibus sese tumoribus intestinum impletum sentimus. Orificium ani quasi annulo tumido circumdatum videtur, et si, ut alvum

deponat, enititur aegrotus, illi tumores fungosi magis procidunt, velut ani prolapsum fingentes.

Nonnunquam nates circa orificium ani excrescentiis fungosis obsitae sunt, et nuper virum vidi, ubi hujusmodi fungositates totam ani regionem ad magnitudinem placentae obtegebant, quae, quia explorationem localem intestini recti impediebant, exstirpari debebant, ut de ipsius recti degeneratione judicari posset.

Haec carcinomatis species frequentior in mulieribus observatur, quam in viris.

SECTIO CADAVERUM.

Sectio anatomica comprobat ea, quae de his carcinomatis varietatibus diximus, enormemque destructionem, quae omnia saepe pelvis viscera corripuit, ob oculos ponit. Rectum, vesicam urinariam, vaginam, uterum, in unum quasi ulcus carcinomatosum commutata saepe videmus, factis canalibus fistulosis, qui eo formantur, quod nonnullis in locis intestinum ulceratione perforatur, itaque communicatio inter hoc illaque organa efficitur. Textura normalis intestini recti, etiamsi nondum ad summam extensionem pervenit malum, plane extincta est. Thom nonnullis in casibus etiam pharyngem metamorphoseos scirrhosae participem invenit, quod cum sententia congruere videtur, quam a Walther profitetur, pharyngis et intestini recti similem structuram, itaque similes quoque morbos esse affirmans.

DIAGNOSIS.

Quum omnis aegrotorum salus in eo tantum posita sit, ut morbi illius deleterii naturam inde a prima origine perspiciamus, summi est momenti, ut eos morbos, quibuscum confundi possit, signaque diagnostica accurate cognoscamus.

Maximam praebet difficultatem diagnosis inter stricturam recti, quae vulgo benigna dicitur, et nostram scirrhosam, sive malignam. Stricturarum vero ani benignarum, ut eas conferam, hae sunt a medicis observatae species: (1)

1. Strictura ex vitio primae conformationis, in nimia musc. sphincteris ani amplitudine ac fortitudine consistens.

2. Strictura spastica, e spasmo continuo tunicae muscularis, aut totius recti, aut cujusdam tantum portionis, vel affectione spastica musc. sphincteris orta, quae quidem rarius occurrit. Saepius cadaverum sectio nullam offert luminis contractionem, quia vita extincta, quum spasmus eas tantum partes musculares irritare possit, quibus adhuc inest vis vitalis, fibrae relaxantur; tamen hujusmodi affectiones tunicae muscularis structuram alienare et contractionem organicam gignere possunt. Plerumque simul adest fissura ani. Aegroti, hacce strictura laborantes, habitum praebent nervosum.

---

(1) Cf. Hedenus, Dr. A. W., Ueber die verschiedenen Formen der Verengerung des Afterdarms und deren Behandlung. Leipzig 1828.

3. Strictura compressoria sive thliptica, e compressione recti per tumores in pelvi minore, uti per lipomata, steatomata, scirrhos, per calculos vesicales majores, per gravidum uterum, pessaria.

4. In ipso recto excrescentiae occurrunt benignae, polyposae, sarcomatosae, lipomatosae, ejus canalem coarctantes.

5. Strictura recti ex emphysemate tunicae intestinorum cellulosae, quo eorum parietes spongiae marinae obtinent formam.

6. Strictura recti ex parietibus membranaceis vel filamentis, qui exsudatione et organisatione lymphae coagulabilis conformantur. Quarum exsudationum hucusque duplex est observata ratio et forma: prima quidem, ubi plicas fingunt latas, crassas, membranaceas, circulatim canalem recti investientes, altera, ubi magnas, annulares, callosasque efficiunt stricturas.

7. Denique saepissime exstant stricturae recti, quae excrescentiis varicosis, fungosis, tuberculosis efficiuntur, vel haemorrhoidibus internis, vel plasticitate, quam syphilis aliaeve dyscrasiae perversam reddiderunt, ortis; vel sunt pseudorganisationes sui generis, quibus recti parietes in peculiarem degenerationem tuberculosam transformantur.

8. Restat adhuc recti strictura, quae sicuti scirrhus ex degeneratione velamentorum nascitur, et etiamsi non habet naturam scirrhosam, nihilominus tandem ulceratione maligna et intestini recti et partium cum eo conjunctarum finitur.

Quae omnes modo allatae stricturae obstructionem provocant habitualem, excretionem alvi dolorificam, et longiore jam tempore persistente malo atrophia moriuntur aegroti; vel intestinum supra locum contractum maxime expansum exulceratur, denique perforatur, et, quae sequitur, excrementorum effusio aeque mortem adducit. Quomodo igitur differt strictura scirrhosa ab omnibus hisce stricturis? Auctores, qui de hoc morbo scripserunt (1), discrimen ponunt in dolore peculiari, qui scirrhum recti concomitatur, lancinante, quasi trânsfigente rectum, permanenter urente, quem jam supra diximus; si vero cancer jam apertus est, profluvium materiae illius saniosae, foetidae, coloris nigrescentis, quae propter odorem coloremque peculiarem proprie sanies cancrosa vocatur, nec non facies aegroti, ab initio leucophlegmatica, cachectica, — ad confirmandam diagnosin conferunt.

Quae signa, quamquam pathognomonica nominari solent, nunquam tamen sola ad constituendam diagnosin sunt respicienda, sed semper exploratio ani digito uncto instituenda, quia unica haec est ratio, qua certam diagnosin obtinere possimus. Quae si saepius a medicis institueretur, quam fieri solet, certe tot errores diagnostici morbi nascentis rarius obvenirent. Ubicunque igitur obstructio alvi pertinax, dolorifica, cum tenesmo juncta, adest, excrementa vero tenuia, vermicularia reperiuntur, et, si

---

(1) Hedenus l. c.

applicare vis clysma, fluidum injici nequit, haec exploratio localis fiat necesse est. Si digito stricturam attingere non possumus, cereolus, sive catheter flexilis adhibendus est. Instrumentis hunc in finem a Britannis, Howship (1) et aliis, praepositis ac superfluis facile carere possumus, qui enim digitum habet in explorando versatum, optimum secum portat instrumentum. Exploratio aut stante, aut cubante aegroto institui potest, id tantum spectandum est, ne rectum partibus vicinis comprimatur. Musculi sphincteris contractione superata, modo propius ab orificio ani, modo longius ab eo ad locum pervenimus, supra quem digitum protendere nequimus, qui sistit stricturae initium. Hoc loco intestinum maxime durum, quasi cartilagineum, tuberculosum sentimus, ipsam stricturam annulo duro circumdatam, temperaturam recti adauctam; si digitum altius immittere tentamus, immanibus doloribus vexatur aegrotus, et jamjam aperto cancro, liquor saniosus sanguine mixtus profluit. Digitus retractus foetorem illum habet peculiarem carcinomatosum. Si digitus non ipse, plerumque tamen catheter flexilis in stricturam immitti, itaque de ejus extensione concludi potest, quae semper fere plures explet digitos transversos. Hoc per se intelligitur, neque adnotetur oportet, explorationem hanc ma-

(1) Iohn Howship; pract. observ. on the sympt., discrimination and treatment of some of the most common diseases of the lower intestines and anus; particularly including those affections produced by stricture etc. London 1820.

nualem identidem esse instituendam, imprimis cum mutantur symptomata morbi, ut de ejus gradu progressibusque semper certiores reddamur. Ubi et oculis metamorphosin morbosam cernere volumus, cum fructu instrumentis hunc in finem inventis uti possumus, inter quae speculum ani W e i s s i i commendandum est.

AETIOLOGIA.

Opinionum commenta nondum delevit dies! Adhuc in tenebris jacet cancri aetiologia, maximeque discrepant de ejus natura atque causis medicorum sententiae. In eo omnes fere consentiunt, diathesi quadam, vel potius dyscrasia, q. d. carcinomatosa, eum procreari; pseudorganisationem esse e causa dyscratica. Quam causam praedisponentem dyscraticam semper fere inveniemus apud aegrotos, etiamsi nondum eo pervenimus, ut ex carcinomatis specie et forma dyscrasiam certam, quae eam genuerit, intelligere possimus, sicuti ex solo adspectu ulcerum indolem specificam, i. e. eorum causam dyscraticam, cognoscere licet. Quae diathesis carcinomatosa si in corpore adest, momento tantum externo sive mechanico sive chemico opus est, ut scirrhus et cancer erumpat. Igitur omnia, quae stricturam recti benignam, carcinoma quoque hujus organi gignere poterunt, quaevis enim strictura diathesi illa vigente in scirrhosam et carcinomatosam transire potest. Qua de causa metastases rheumaticae, arthriticae, psoricae etc.; syphilis, dysente-

riae, omnesque irritationes intestini recti, vel mechanicae, uti corpora aliena, quae in eo retinentur, ossicula, spinae piscium etc., paederastia; vel chemicae, si fluidum quoddam acre, corrosivum, in rectum infunditur; dein haemorrhoides internae, aliaeque causae, de quibus jam supra locuti sumus, pro causis remotis carcinomatis recti habendae sunt.

Inter momenta interna, quae diathesin illam carcinomatosam procreare possunt, nominanda sunt:

1. Dispositio quaedam haereditaria. Experientia nos docuit, affectiones carcinomatosas nonnullis in familiis a parentibus ad liberos transferri, quod imprimis de carcinomate uteri observatur. Aliquando morbus unam generationem praetermittit, alteram vero denuo adgreditur.

2. Sexus. In universum feminae saepius carcinomate laborare dicuntur, quam viri, cui vero opinioni Ill. Schönlein non diserte suffragatur, magnam differentiam quoad formam tantum carcinomatis utrumque inter sexum adesse dicens. Sic v. g. carcinoma partium genitalium saepius apud mulieres observatur, quam apud viros, quia in corpore muliebri organa sexualia majorem habent vim quam in virili, contra aliae carcinomatis species apud viros saepius occurrunt. Quamquam igitur illa sententia non in universum vera potest haberi, tamen nostra carcinomatis species in sexu sequiori frequentius occurrit, quod graviditatibus saepe repetitis, ubi uterus gravidus rectum continuo comprimit, structuraeque intest. recti magis glandulo-

sae imputandum est. Dein videmus, inde a cessatione mensium vim reproductivam eo usque generationi et evolutioni organorum similium impensam ita paullatim comminui, ut solitis officiis non amplius fungi possit, itaque formationibus inferioris dignitatis impendatur. Quare mulieres in hacce vitae periodo propensiores ad producendas pseudorganisationes, et carcinomatosas et alias, repeiuntur, eoque viris praecellunt, quod de antecedentibus vitae periodis affirmari non poterat.

Fortasse hoc quoque pertinet ad majorem carcinomatis recti apud feminas frequentiam, quod commoditatis vel decoris causa excretionem alvi per longum saepe tempus retinent, eoque modo saepius irritant rectum. Hedenus (l. c.) inter mulieres et viros ut 10 : 1 proportionem statuit.

3. Aetas. Vitae aetatem multum valere ad evolutionem carcinomatis, ex iis jam elucet, quae antea diximus. Minime vero affirmari potest, omnino porvectioris tantum aetatis esse morbum. Verum est, quum ex dyscrasia quadam oriantur carcinomata, hanc aetatem magis ad ea vergere, quia morbi dyscratici imprimis ei competunt; quae vero carcinomatis species e dyscrasia scrophulosa proficiscuntur, priori vitae aetati propriae sunt.

Genesis carcinomatis per contagium non observatur; contagiosos enim eos tantum morbos vocamus, quorum transpositio in aliis corporibus eundem procreat morbum, id quod in carcinomate nunquam accidit. Contra negari non potest, si plures

cancro laborantes aegroti eodem cubiculo sint inclusi, aërem ita inquinari et depravari, ut adstantes curamque eorum habentes alio morbo afficiantur, v. g. phthisi. Aliorum aegrotorum vulneribus et ulceribus hoc miasma gangraenam infert nosocomialem. —

PROGNOSIS.

Omnino mala, et si magnum ambitum obtinuit metamorphosis cancrosa, pessima habenda est, nullum enim tum auxilium aegrotis afferri potest, et quamquam minorem dignitatem quoad vitam intest. rectum obtinet, quam alia corporis viscera, itaque ejus carcinoma longius per tempus persistere potest, priusquam necat hominem, quam v. g. cancer ovarii, uteri, ventriculi etc., tamen nulla sanationis spes, nisi ineunte malo. Licet verba illa egregia afferre, quae de hoc malo fecit Musgrave in: »Diss. de arthritide anomala« Cap. III., ubi »de colica arthritica« dicit: »Nam a prima intestini aggressione flatu, tristitia, dolore languet aeger et deprimitur, noctu vigilat, interdiu lamentatur, dies noctesque calamitosas agit, donec somno, cibo, refectionibus vitae necessariis privatus, vomitu creberrimo lacessitus, dolore fractus et enervatus, macie confectus serius citiusve vitam aerumnosissimam cum morte commutet.«

Sicut ars non multum valet ad cancrum removendum, ita in vi naturae medicatrici nulla fides collocanda est, quaeque afferuntur exempla scirrhi

sua sponte resoluti, certe ex superioribus saeculis desumta sunt, ubi, quod durum fuit, scirrhus nominabatur.

Ceterum prognosis hisce decernitur momentis:

1. Carcinomatis specie; melior est in c. cutaneo, pejor in c. duro, pessima in c. fungoso, quod certe nunquam, etiamsi operatio suscipi potest, bonum concedit eventum.

2. Stadio morbi. Si nondum apertus est cancer, sed adhuc induratio et strictura scirrhosa adest, melior est prognosis.

3. Extensione morbi. Quo minor est destructio, eo major spes, etiamsi non perfectae sanationis, tamen retardationis morbi, ideoque longioris vitae.

4. Cachexiae carcinomatosae intensitate. Si magna jam adest macies, magna virium prostratio febrisque hectica, maturum exitum lethalem praesagiri oportet. —

CURATIO.

Duplex est carcinomatis in genere medela, et pharmaceutica et operativa:

Curatio pharmaceutica.

Quemadmodum in omnibus morbis, in quibus curandis admodum debilis et fallax est medicorum ars, quia naturam atque causas eorum nondum satis investigavimus, maxima medicamentorum copia commendatur, ita in carcinomate quoque curando universa materia medica quasi exhausta est, nullum-

que fere exstat medicamen, quod ab hoc illove pro anticarcinomatoso non laudetur. Quorum tamen medicaminum majorem numerum non solum nihil efficere ad removendum morbum, sed multa adeo nocere, aegrotum frustra vexare et debilitare, in eo omnes nunc consentiunt.

Duplex est ratio curationis pharmaceuticae, aut radicalis, aut palliativa.

Quae ad efficiendam curam radicalem in usum vocantur medicamina, omnia eam habent vim, ut vegetationem et reproductionem organismi minuant vel plane supprimant, ita ut, quia vitam individuam exstinguere, i. e. hominem ipsum necare valeant, etiam vitam parasiticam cancri per ea deleri, concludant. Dolendum vero est, quod illa remedia, dummodo aliquam magnitudinem adepta sit pseuorganisatio scirrhosa, tanta dosi adhiberi debeant, ut cum vita parasitica totius organismi vita exstinguatur. Huc imprimis referenda sunt medicamina, quae specifica nominantur, haec: *Hydrargyri* praeparata; nunquam multum effecerunt, imo saepe plus detrimenti, quam utilitatis attulerunt, nisi forte per inunctiones adhibita fuerint. *Arsenicum album*, plurimas habet auctoritates et re vera multis in casibus salutare fuit; sin autem eo utimur, nonnisi dosi minima, ut ita dicam, quasi homoeopathica adhibendum est. Dosis vero minima interprete Ill. Rust ea est, qua primam manifestat reactionem arsenicum in solutione, cui immisces reagens quoddam, (v. g. acid. hydrothionic., cupr. sulphurico-ammoniat. etc).

Jodum ejusque praeparata; *Carbo animalis; Aqua Laurocer.; Acid. hydrocyanic.; Aurum muriat.; Extract. Calendulae, Cicutae, Belladonnae.* Raro tamen omnia haec medicamina magnam praebuerunt vim medicatam, et si quid effecerunt, primo tantum morbi stadio incipiente. Optimum haud dubie effectum ab inedia, cum remediis resolventibus et alterantibus juncta, v. c. decoct. Zittmanni, exspectare licebit. Semper vero horum medicaminum usus, ubi operationis nulla adest contraindicatio, incertus et periculosus est; nam si radicalem sanationem moliris, majore dosi et per longius tempus adhibeantur necesse est, quibus corporis constitutio corrumpitur; sin autem nihil valuerunt, non solum tempus opportunum elapsum est, ubi in operatione aliqua spes fuit, sed etiam institutae operationis eventus tunc multo magis anceps est. Haud raro illa remedia maturant scirrhi ulcerationem.

In curatione igitur dynamica, nisi incipiente malo, nulla salus, quare contendere licet, in iis modo casibus locum ei esse, in quibus cura operativa aut omnino fieri nequeat propter situm organi affecti v. g. in carcinomate ventriculi, aut tempus operationi opportunum jam praeterierit.

Eadem est ratio medicamentorum externorum magisque cavendum est, ne plus noceant quam prosint. Radicale nunquam, raro tantum palliativum per se praebent auxilium.

Multo frequentior medicamentorum et internus et externus usus est ad curam palliativam. Dum

modo aliquem intensitatis et extensitatis gradum nacta sit destructio cancrosa, omnis spes radicalis curationis vana atque irrita, et nihil restat, quam ut ad sublevandam ex parte conditionem miseram horum aegrotorum animum advertamus. Qua ratione haecce potissimum respicienda sunt momenta:

1. Dolores immanes mitigandi.

2. Ulcera carcinomatosa pro gradu vitalitatis curanda, secretio profusa ichoris minuenda ejusque foetor gravis corrigendus.

3. Aegrotorum vires roborandae, cachexia carcinomatosa, nec non febris hectica temperanda.

Inter medicamina, quae ad primam illam indicationem exsequendam jure laudantur, Narcotica primum obtinent locum, et inter haec *Opium*, quod per intervalla cum *Acido hydrocyan.* vel *Aqua Laurocerasi* optime commutatur, quia longior Opii usus aegroto assuefacto non amplius opitulatur. Externe hunc in finem commendantur: *Belladonna*, *Cicuta*, *Digitalis*, *Aqua Laurpc.*, quae, prout res postulat, variis formis atque compositionibus adhibentur.

Quod attinet ad momentum secundum, varia sunt medicamina pro vitalitatis gradu carcinomatis, *solutiones* modo *Arsenici*, modo *Hydr. mur. corros.* modo *lapidis infern.*, *Aqua Calcis*, *Aqu. oxymuriat.*, *Acet. saturnin.*. omnia aut cum aut sine Opio etc. Semper ulcera saepissime purgentur necesse est, ne partes vicinae secreto sanioso corrodantur.

Ad sustentandas vires diaeta roborans usitata-

que medicamina q. d. roborantia commendanda sunt. Huc quoque referendum est *Ferrum oxydat. fuscum s. carbonic.*, quod *Carmichaël*, perperam tamen, pro specifico laudat. Dissolutionem sanguinis optime acidis cavemus, v. g. *acido phosphorico*, *muriat.*, *sulphurico*.

Quid de cura pharmaceutica in carcinomate recti censendum est? Quae supra in universum de hac methodo diximus, hic quoque locum habent, et nunquam nisi malo incipiente, dum scirrhus tantum exstat, sanatio radicalis medicaminibus internis obtineri potest, excepto forte carcin. cutaneo, quod Cel. **Dieffenbach** usu *olei jecoris Aselli* et *decocti Zittmann.* nonnullis in casibus sanavit. Contra curatione palliativa carere non possumus. Praeter ea, quae in abstracto hunc in finem antea nominabantur medicamina, in casu concreto eccoprotica blanda, *Pulpa Tamarindorum*, *Mellagines* cum *Extract. Hyoscyami* etc. aegrotorum molestias multum sublevant. Eadem ratione externe fomentationes ani, v. c. ex *lacte vaccino* cum *Opio*, imprimis vero *clysmata*, ex *Infus. flor. Chamom.* cum *Aceto saturnino*, ex *Decoct. Cort. Querc.*, ex *Gelatina Lichenis Island.*, e solutione *Lapid. infern.*, laudatu digna sunt. Quae clysmata non solum eam habent vim, ut faeces induratas fluidiores transitumque earum faciliorem reddant, dolores mitigent, sed eo quod apta medicamenta cum ipsis partibus cancrosis contactum ineunt, vim quoque habent medicatricem. Sic carcinoma cutaneum, ut jam supra di-

ctum est, hujusmodi clysmatibus una cum medicaminibus convenientibus internis ad cicatrisationem perduci potest. Restat quidem, si magna fuerint ulcera, semper strictura, sed continua cereolorum vel turundarum e spongia marina paratarum applicatione haec quoque perfecta sanatur, quia non totus intestini recti luminis ambitus cicatricibus est obsitus. Si vero magnam amplitudinem nacta sunt haec ulcera totumque recti ambitum tenent, vix unquam restitutio in integrum hac via perfici poterit.

In carcinomate duro atque fungoso, si res ita se habent, multo minus auxilii remedia pharmaceutica pollicentur. Curam radicalem nunquam adducunt, sed nonnisi palliativum effectum praestant, qua ratione eaedem a nobis observandae sunt indicationes, quas supra proposuimus.

Quae cum ita sint, eo magis laetabimur, quod chirurgia operativa nostris temporibus ingeniosorum virorum audacibus conatibus eo pervenerit, ut in hoc etiam maximo rerum discrimine auxilium afferre valeat aegrotosque antea morti inevitabili addictos servare possit. Nunc igitur de hisce methodis operativis breviter disseram.

CURATIO OPERATIVA.

Triplex est methodus operativa, qua in carcinomate recti curando utimur: a) *Dilatatio*; b) *Cauterisatio*; c) *Exstirpatio*.

a. Dilatatio.

Aut per se sola ad stricturam recti curandam adhibetur, aut ad sustentandum modo effectum post factam cauterisatiónem, vel exstirpationem. Sicut in benignis recti stricturis compressio sensim sensimque adaucta re vera sanationem efficere possit, ita ut Desault et Copeland omnibus aliis methodis eam praeferant, quam tamen sententiam Schreger impugnavit, qui exstirpationem, quam illi metuunt, meliorem esse methodum exemplis illustravit; ita in strictura recti scirrhosa curanda per se ad efficiendam curationem radicalem nihil valet, sed nonnisi ad tollendam stricturam, ex carcinomate cutaneo sanato residuam, vel ubi destructio cancrosa eo jam provecta est, ut aliam methodum operativam non admittat. Hoc in casu nihil superest, quam ut caveamus, ne rectum plane obturetur faecibusque retentis et coacervatis perforetur, quod dilatatoriis jam dictis (cereolis et turundis) prohibere possumus, quorum vis aptis injectionibus multum augetur. Ut fluidum ultra locum coarctatum transferatur, catheter elasticus majoris ambitus per stricturam inducatur hujusque ope clysma applicetur.

b. Cauterisatio.

Quod hanç attinet methodum, Cel. Dieffenbach impavida ferri candentis applicatione novam indigitavit viam, hunc morbum terribilem nostra arte devincendi, si, quae antea commemoravimus, remedia frustra adhibita sint. In carcinomate fungoso potissimum hac methodo utitur, ita quidem

ut integra pars intestini recti supra locum affectum sita, ne laedatur, antea linteo carpto farciatur, tum si degeneratio cancrosa inferiorem tantum intestini recti partem ad orificium ani tenet, ferrum candens olivare per anum incutiatur, si vero altiorem tenet, locum, per capsulam, cujus parietes unius digiti habent crassitiem, pars morbosa aduratur.

c. Exstirpatio.

Quamquam multi, inter quos ab Ammon, faustum eventum hujus operationis negent et, si is contigerit, confusum fuisse malum carcinomatosum cum excrescentiis tuberculosis affirment, tamen exempla, quae Lisfranc hac de re affert, illam sententiam refutant. Lisfranc primus fuit, qui hanc operationem suscepit, novemque inter aegrotos, apud quos exstirpationem recti fecit, sex sanabantur, reliqui tantum tres ei succubuerunt. Post eum nonnulli, inter quos Cel. Dieffenbach excellit, operationem eodem cum eventu repetierunt, ita ut chirurgia operativa re vera valde locupletata sit. Raro tantum recidivae sunt observatae. Inter tres carcinomatis recti species imprimis carcinoma durum hanc operationem postulat. Cel. Dieffenbach hac ratione eam instituit: ne haemorrhagiae internae occultae post operationem intrent, primum orificium ani una, vel duabus, si tota inferior recti pars cancrosa est, incisionibus finditur, ita ut haemorrhagia apparens statim possit supprimi. Digito indice manus sinistrae in anum immisso duce intestinum rectum ad fines usque degenerationis cancrosae a tela

cellulosa ambiente cultro sejungitur, dein pars ejus inferior morbosa, ab administro per hamulum duplicem attracta, abscinditur. Postquam vulnus aqua frigida injecta satis est lotum, restitutio ani suscipitur. Quem in finem quae superest pars intestini, quam maxime detrahitur, dum, qui operationem facit, a partibus adhaerentibus eam solvit, donec ejus margo orificium ani attingit, quocum sutura cruenta conjungitur. Quod ut facilius possis assequi, semper hac in operatione observandum est, ne cutis circa orificium ani plus, quam opus sit, laedatur. Post operationem splenia simplicia frigida vulneri imponuntur, cujus ad perfectam cicatrisationem nulla plerumque alia opus est vinctura, nisi fomentationibus ex *Decocto flor. Chamomillae.* Si suppuratio nimia vel parca intrat, ex chirurgiae principiis est curanda, sicuti et interna aegroti medela juxta therapiae praecepta est instituenda. Mirum est, post perfectam vulneris cicatrisationem nullam restare paralysin, sed aegrotos ut antea faeces retinere alvumque deponere posse.

VITA.

Natus sum ego **Albertus Ravenstein**, confessioni evangelicae addictus, Vratislaviae, pridie Idus Octobres a. hujus saeculi decimo septimo, patre **Friderico**, matre **Guilelma**, e gente **Weiss**, quos parentes optimos, dilectissimos hucusque vivos pio animo laetor. Prima litterarum elementa pater carissimus ipse mihi tradidit, donec aetatis anno decimo gymnasium St. Mariae Magdalenae, quod est Vratislaviae, adii. Testimonio maturitatis instructus anno h. s. XXXVI, aetatis undevicesimo, almam litterarum sedem Viadrinam Vratislaviensem petii, ubi ab Ill. **Ritter**, tunc fasces academicos tenente, civium universitatis numero adscriptus et apud Ill. **Henschel**, gratiosi medicorum ordinis t. t. decanum maxime spectabilem, nomen rite professus, per tria semestria horum virorum interfui praelectionibus: Ill. **Barkow** et **Otto** anatomicis; Ill. **Braniss** logicis et psychologicis; Ill. **Glocker** mineralogicis; Ill. **Henschel** medico-propaedeuticis; Ill. **Nees ab Esenbeck** botanicis; Ill. **Pohl** physicis; Ill. **Purkinje** physiologicis; Ill. **Stenzel** historicis.

In theatro anatomico Ill. **Otto** dux moderatorque mihi fuit benignissimus.

Anno h. s. XXXVIII universitatem litterariam Berolinensem Fridericam Guilelmam adii, ubi ab Ill. **Boeckh**, t. t. rectore magnifico, inter cives academicos receptus, sub auspiciis Ill. **Wagner**, ordinis medici t. t. decani spectablis, huic facultati nomen dedi. Ibidem hasce Illustrissimorum virorum scho-

las audivi: Ill. Hecker medico-historicas; Ill. Horn therapeuticas; Cel. Kluge aciurgicas et obstetricias; Ill. Osann pharmacodynamicas; Ill. Rust chirurgicas.

Exercitationibus clinicis interfui medicis Ill. Schoenlein, Cel. Wolff; chirurgicis Ill. Rust, Cel. Dieffenbach et Beat. de Graefe; ophthalmiatricis Ill. Juengken; obstetriciis Cel. Kluge: policlinicis medico-chirurgicis Cel. Truestedt.

Quibus omnibus viris Illustrissimis, Celeberrimis, maximas, quas possum, palam habeo gratias easque in sempiternum habebo.

Jam tentaminibus, tam philosophico quam medico, et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, fore spero, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Cancer et fungus non discrepant, sed ex eadem oriuntur dyscrasia.
2. Graviditas non vetat emeticum.
3. Graviditas multiplex nonnisi Stethoscopio dignoscitur.
4. Typhus abdominalis semel tantum hominem adgreditur.